

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

Quod si iam rerum ignorem primordia quae sint,
hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus reddere multis,
nequaquam nobis divinitus esse paratam
5 naturam rerum: tanta stat praedita culpa.
Principio quantum caeli tegit impetus ingens,
inde avidam partem montes silvaeque ferarum
possedere, tenent rupes vastaeque paludes
et mare, quod late terrarum distinet oras.
10 Inde duas porro prope partis fervidus ardor
assiduusque geli casus mortalibus aufert.
Quod super est arvi, tamen id natura sua vi
sentibus obducat, ni vis humana resistat
vitae causa valido consueta bidenti
15 ingemere et terram. pressis proscindere aratris.
Si non fecundas vertentes vomere glebas
terraeque solum subigentes cimus ad ortus,
sponte sua nequeant liquidas existere in auras.
Et tamen interdum magno quaesita labore
20 cum iam per terras frondent atque omnia florent,
aut nimiis torret fervoribus aetherius sol
aut subiti peremunt imbris gelidaeque pruinae
flabraque ventorum violento turbine vexant.
Praeterea genus horriferum natura ferarum
25 humanae genti infestum terraque marique
cur alit atque auget? Cur anni tempora morbos
apportant? Quare mors immatura vagatur?
Tum. porro puer, ut saevis proiectus ab undis
navita, nudus humi iacet infans indigus omni
30 vitali auxilio, cum primum in luminis oras
nixibus ex alvo matris natura profudit,
vagituque locum lugubri complet, ut aequumst
cui tantum in vita restet transire malorum.
At variae crescunt pecudes armenta feraeque
35 nec crepitacillis opus est nec cuiquam adhibenda est
almae nutricis blanda atque infracta loquella
nec varias quaerunt vestes pro tempore caeli,
denique non armis opus est, non moenibus altis,
qui sua tutentur, quando omnibus omnia large
40 tellus ipsa parit naturaque daedala rerum.

II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Bestimmen Sie die Form **ausim** und erklären Sie sie lautgesetzlich (Z. 2)!
2. Nennen Sie zwei weitere Vertreter der Wortfamilie von **cimus** (Z. 17)!
3. Durch welche sprachgeschichtliche Erscheinung erhdIt das archaische Wort **navita** seine klassische Gestalt (Z. 29)?